

**RECTOR & PROFESSORES P.  
ILLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,**

indicant Exsequias

**VIRI**

*Prenobilissimi, Amplissimi, & Consultissimi*

**EVERHARDI OTTO**

J. V. D. in Academiis primum Duisburgensi, dein Ultrajectina, Antecessoris Celeberrimi, demum Reipublicæ Bremensis Syndici Primarii

& Directoris Cancellariæ Excellentissimi

Nati Hammonæ Westphalorum A. MDCLXXXV. d. 3 Sept.

Denati Bremæ A. MDCCLVI. d. 20. Julii

Ætatis Ao. LXX. Mens. X. d. 17.

**BREMÆ,**

Typis Viduæ B. H. C. Jani, quondam Illustr. Gymnasii Typographi.

**A. MDCCLVI,**



RECTOR & PROFESSORES

ILLUSTRISSIMO SCHOLAE BREMENENSIS

inducunt Excerptum

VIRI



Elogia Virorum eruditione, muneribus & meritis illustrium, in compendio vix scribi possunt certius atque gravius, quam ex comparatione cum priscis, quorum memoriam cum fama atque gloria, industria scriptorum de vitis hominum doctrina rebusque gestis praestantium, ab interitu conservavit; inprimis si insignis similitudo utrorumque fata & facta intercedat, atque viventes recentiori nostroque aëvo, istos sibi in exemplum imitandum, proponere fuerint soliti. Occurrit nobis, cum scribendum sit elogium, Viri laudibus nostris majoris, quasque non caperent multo plures paginae, quam paucae hae, Tuis oculis B. L. expositae, sive eruditionis ejus ambitum atque scientiae latifundia, sive laborum in re litteraria, variis jurisprudentiae partibus & ad civitatis commoda exantlatorum, cum copia, pondus spectemur, POLEMON, civitatis Smyrnenfis Orator & ad Imperantes legatus, qui Syndici hodierni munus, in plurimis sustinuit. Cave tamen ne illum menti Tuae praesentem sistas, sub imagine, quam vulgares quidam de Eruditis libri, de eo exhibent, praesente jam SUIDA (a) ex confusione variorum cognominum, quos distinguendos esse docuit FABRICIUS (b). PHILOSTRATUM (c) decet sequi ducem, tanquam testem rei gnarum & fere coævum, qui, quae memoriam ejus ornant, praecclare gesta, neglecta a Suida, retulit. Laodiceae natus, res Smyrnenfium, non in iudiciis solum consiliis & auctoritate atque in legationibus, juvit, magnisque illos affecit beneficiis, sed & docuit, cœtum licet eruditum, Orator facundissimus negotiorumque publicorum callentissimus, cujus fama in aëre & marmore vivit, per superstites nummos & inscriptiones (d). Striclim, ex vita ejus excerptae laudes, virum exhibebunt, qui magni, in suo genere nomen, meruit. Cives ab adolescentia, aliquid in eo magnum agnoscentes, omnes, quos patria habebat coronas, in ejus caput contulere, atque summæ existimationis iudiciis eum honoravere. Ubi Scholam habuit, urbs, se ipsam hominum frequentia vincere visa, juventute ipsi affluente, ex continenti pariter atque insulis, non proterva & mera quae esset colluvies, verum selecta atque pura. Concors & absque seditionibus, quibus urbs laboraverat, publica obiit negotia. In magno pretio fuit ob legationes obitas, ad Imperatores saepe profectus, provinciarum causas agens.

(a) In lexico voce Polemon Laodicensis. (b) Bibliothecae Graecae Lib. IV. cap. 30. §. 2. not. b. (c) De vitis Sophistarum Lib. I. no. 51. pag. 531. edit. OLEARII cujus omnino nota sunt conferendae. (d) Adducti a FABRICIO & OLEARIO auctores, NICASIUS de nummo Pantheo Hadriani pag. 23. PRIDEAUX ad Marmor Oxon. XXIX. pag. 95. SPON Voyages Tom. II. pag. 535.

agens. Hadrianum enim, cui charus, civitati propensum reddidit, Antonino quoque Pio, acceptus fuit. Publica negotia perperam tractantes, redarguit, multaque prudenter admonendo, plurimum urbi profuit. Ea quoque profuit parte, quod controversias, rem pecuniariam concernentes, domi composuerit, sed quibus piacula contrahuntur, ad forum deferri & gladio coerceri curaverit. Hadriani favorem cumulate, præ aliis expertus, facundissimis, maxime appofitis & ex promptu expeditis alloquutionibus. Sic excelluit in arte dicendi, ut præceptores, quibus usus fuit, superaret. Audiverat Timocratem, acujus partibus stetit, Scopelianum & Dionem Chrysothomum, quantum virum! Admiratores & æmulos habuit, Marcum Byzantinum, Dionysium Milesium, Favorinum & inprimis Herodem Atticum. Hic in epistola ad Barbarum de ejus eloquentia scribit. Ad declamationes prodibat remissa facie & fiducia plena. Argumenta dicendi coram pluribus, non meditabatur, sed e coetu paululum egressus. Vox ei erat splendida & contenta, sonitusque mirabilis plane, ex lingua ejus resonabat. Ubi maxime fervebat oratio e cathedra exiit. Ubi periodi orbem absolvit, ultimum membrum, subridens protulit, ostendens, quam plane sine molestia, diceret. Non minus in campis rhetoricis solum pedibus pulsavit quam equus generosus. Se scribit primam ejus declamationem audivisse, ut solent, qui causam judicant; secundam ut qui amant; tertiam ut qui mirantur, tribus enim diebus se eum audivisse. Alter Demosthenes appellatus est. Inter ipsos & Ecclesie Patres imitatores habuit, & quidem Gregorium Nazianzenum observante HERONYMO (e) Mittimus alia prudentie, elegantie & ingenii specimina. Podagrae doloribus, vir meritissimus & scriptis clarissimus, quorum partem PHILOSTRATUS recenset, obiit. Non sine causa hæc præmisimus, cum Vir Excellentissimus, cujus fama, universam, qua erudita qua polita est, Europam pervagavit, cujusque funebria parantur, data occasione professus est, se Polemonem in oculis habere, dum diversis urbibus id præstitit, quod ille soli Smyræ. Natales debet loco & anno quos in frontispicio designavimus, Parentibus vero Viro Nobilissimo CHRISTIANO OTTO, Mercatori apud Hammonenses florentissimo & Matronæ Præstantissimæ MARLE SOPHLE von SCHMACHTENBERG. Horum pietati debet curam ad educationem probam impensam, cui respondit felix ingenium, se a teneris prodens, ex voto. Fundamenta scientiarum in Gymnasio Patrio Hammonensi jecit, tunc docentium celebritate & discipulorum frequentia florente, sic ut ibi jam sub Clarissimo Neubausio disputationem publicam de homine defenderit. In initiis præsentis sæculi, huc Bremam delatus, per triennii spatium, profectus suos, manucentibus Clarissimis Professoribus, insigni successu urfit, ut & ipsam juris praxin delibaret. Præfectus dein moribus & studiis moderandis, juvenum illustrium L. Baronis in Bodelschwing, ut & Generosissimi de Diepenbrock in Balderen, cum illis primum Gymnasium Steinfurtense, dein Academiam Halensem adiit, & in illa quidem integri triennii spatio, Viros Summos Thomasium, Ludwigium, Babmerum & Gundlingium audivit, illorumque non favorem solum sed & amicitiam sibi conciliavit. Quum adhuc discipulorum frequentaret subsellia, ad docendum jus a Potentissimo Borussiae Rege Ao. 1714. defuncto Clar. Crellio in Academia Duisburgensi susceptus est, munerisque, postquam a Celeberrimo Summermanno laurea Doctoris fuisset cinctus, auspicia sumit, dicta Oratione inaugurali de Stoica Vett. Actorum Philosophia. Hic, post alia Steinfurti & Halæ edita specimina, Papinianum in lucem emisit, variisque Disputationibus ut de nuptiis Consobrinarum aliisque, collectioni dein Ultrajecti curate, insertis, ad nominis celebritatem grassatus est. Vocatus binis vicibus Harderovicum, Duisburgum prætulit, sed Proceribus Ultrajectinis Provinciam jus publicum & privatum docendi, anno 1720. offerentibus, annuit illamque usque ad A. 1739. ornavit. Sollicitatus ad illam commutandam, sub conditionibus splendidissimis, cum Viadrina, Halensi, Marburgensi atque Göttingensi, gratam animum Proceribus Trajectinis testandum esse ratus, qui favore summo illum complectebantur, & stipendio labores ejus remunerabantur, tam amplo, quam ante ipsum nemo fuerat fructus, permansit in ista statione, usque quo, ætate ingravescente experiretur, solitam docentium sub onere muneris, fatigationem cum tædio, quamobrem, oblatam ab Inclito Patriæ nostræ Senatu, spartam Syndici Primarii & Directoris Cancellariæ amplexatus est, quo, quod in votis semper habuerat, ex minus molestis negotiis, suppeteret cum tempore  
mora,

(e) in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

mora, cogitandi de novissimis & se accingendi ad iter in coelestem Patriam. Quanta dexteritate in utroque versatus sit munere, non orbis aliquis angulus, sed universa novit Europa. Polemonem retulit. In Academiis jus docuit, de jure respondit, imo saepius in concilium judicum provocaciones discutientium vocatus, jus dixit. Confluxit ad illum, delibutus flos juventutis. Auditores habuit Serenissimos, Illustrissimos, Illustres Generosissimos, non ex Belgio solum & Germania, sed & ex Britannia, Dania, Suecia, Polonia, Hungaria, ipsa Italia & Gallia. Sunt & jam fuerunt inter illos, qui populos regunt, aulas ornant, civitatibus praesunt, jura docent. Obitis legationibus ad Reges, Principes, Imperantes, res patriae javit. Eloquentia, in civium Panegyris, aures & animos crebro demulsit. Scriptis aetatem laetis, imo immortalibus, quae jus illustrent & bibliothecis sunt ornamento, fama ejus marcescet nunquam. Indicem eorum non instruimus, quoniam adjungenda essent, quae ad prelum parata habet in scriniis & editorem expectant. Quae res domesticas at privatas spectant, postquam publica negotia enarravimus, subjungemus. Connubii sacris vinculis prima vice nexus est, cum Nobilissima Virgine MARIA ELISABETHA CRUSEN, Viri Consultissimi & Celeberrimi WILHELMI CRUSE Jurium in Academia Duisburgensi Professoris Primarii & T. T. SOPHIAE NIES filia. Celebratum fuit id faustis hymenaeis A. 1715. variaque felicitate & bina prole faeminea beatum, quarum tamen natu major, mature obiit, minor vero Virgo lectissima & elegantissima MARIA THEODORA, nata A. 1718. d. 25 Martii, elocata ab 1744. d. 28 Jan. Viro Praenobilissimo Consultissimo & Amplissimo HENRICO RHODE J. V. D. & Patriae Senatori, quem Deus, ejus bono, diu superesse jubeat, in florentissima aetate, post concors, sed brevi nimis tempore durans conjugium, in summum moerorem tum Amplissimi Vidui, tum Excellentissimi Parentis, isto tempore civitatis causa ad aulam Danicam ablegati, A. 1746. d. 24 Octobris, terras reliquit. Solutis prioris connubii vinculis A. 1718. obitu conjugis, p. m. Noster, sequente Ao. 1719. ad secunda vota tranfiit, cum Matrona Praestantissima, vidua nunc altera vice moerentissima, BARDINA GERTRUDE KELLERS, Viri Praenobilissimi & Consultissimi JOHANNIS HENRICI KELLERS, Potentissimo Borussiae Regi a Consiliis & judicis in Schernbeck & Krudenburg atque T. T. CHRISTINAE LOSEN, filia, Vidua tunc, obitu prioris Mariti T. T. THOMAE WIENTGENS, Magnarii Duisburgensis e praecipuis. Felix itidem hoc fuit matrimonium, amica conspiratione animorum, bina mascula prole, sed eheu mox decedente, inprimis vero spatio 38. annorum. Ut in publicis virtus pie defuncti emineat, sic & in privata ac domestica vita. Bonum se gesfit Patrem familias, rite rebus prospicientem. Devotam Deo mentem testatus actibus religiosis cum privatim, tum publice in coetu, cui intererat frequentissime & a quo vix unquam aberat; comitate sua, animo bene composito, mentis hilaritate & liberalitate in egenos, animos sibi devincivit. Robusta gavifus valetudine corporis, qualem exigunt tot labores & peregrinationes, vaga arthritide, in ultimis vitae annis, subinde correptus, die 15. labentis mensis circa vesperam, grave animi deliquium passus quod, quanquam cessaret, quinta die rediit, tam repente & valide, ut subito ipsum rebus humanis exsolveret hora pomeridiana quarta. Sic sol ipsum, quod itidem de Polemone, non tacentem sed loquentem vidit. Habent in tanto Viro, juvenes quod imitentur, senes quod mirentur, omnes quod venerentur. Exuviae mortales, hodie sub horam I. inferentur monumento in templo Ansgariano. Val. Pos. d. 24. Julii, A. MDCCLVI.

